Quelle: https://manuscripta.at/?ID=889
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

diem pasche inveniendum composuit, eo quod luna cuiuslibet etatis per tantum temporis ad eundem redeat anni solaris diem. Hon [inquit] quem egypt. [iubet fieri xviiii] vel certa porten te ac ecclesia. Verum [usque ad eusebium] extenus lune cursum vel diem nescierunt rite invenire paschalem. Sed quia ea que ipsis temporibus annuatim cum labore investigata et per orbem mandata sepius inquisitionem venire solebant, facilius prefixa semel regula circulari semper observari et sine scrupulo ambigendi poterant edisci. Denique fertur antiquitus alexandrine ecclesie antistiti delegatum, ut officiose [studiose] operam curamque investigationi computi paschalis impenderet, quatenus pontifici apostolice sedis adnuntians per eum [apostolicum] diem pasche sollempnem ceteros ecclesiarum principes agnoscere faceret. Unde beatissimus papa Leo Martianum principem postulans ut alexandrino antistiti delegaret, quatenus [nomine libri] paschale sancti Theophili, inquit, VIII. kalendarum maiarum die pascha videtur affixum, diligenti perscrutaretur examine. Arbitror ab eo nunc recte memoratum diem fuisse conceptum. Inter alia hoc dixit: Studuerunt quidem sancti patres occasionem huius erroris auferre, omnem hanc curam alexandrino antistiti delegantes, quoniam apud egyptios huius supputationis antiquitus tradita videbatur esse peritia, per quem omnibus annis dies predicte sollempnitatis sedi apostolice indicaretur. Cuius scriptis ad longinquiores ecclesias indicium generale percurreret. Verum ut huius labor aliquando quiesceret, composuit memoratus vir circulum nunc longe lateque notissimum, quo XIIII. lunas primi mensis ex ordine comprehendendo diem pasche, qui mox sequitur dominica futurus erat, facillime cuilibet inveniendum relinqueret. Cuius circuli perito alexandrine urbis antistes ad inquisitionem sancti pape Leonis luculentissimam reddens rationem, talis rescripti ab eo meruit tenore letificari: Letificaverunt me littere dilectionis tue, quas frater et coepiscopus noster Nestorius pio apportavit officio. Oportebat enim ut ab alexandrine ecclesie presule talia scripta ad sedem apostolicam mitterentur, que ostenderent magisterio beatissimi Petri apostoli hoc ab initio per beatum Marcum eius discipulum didicisse egyptios, quod constat credidisse romanos.

De embolismis et annis communibus. XLV.

Dividitur autem circulus idem in embolismos annosque communes, quos hebreorum quoque priscorum auctoritate constat observatos. Communes quidem annos, idem CCC.LIIII. dierum continens XII. Embolismos vero idem CCC.LXXXIIII. dierum continens VII. Primus namque et secundus communes. Tercius est embolismus. Quartus et quintus communes. Sextus embolismus. Septimus communis. Octavus embolismus. Nonus et decimus communes. Undecimus embolismus. Duodecimus et XIII. communis. XIIII. embolismus. XV. et XVI. communis.